

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Laudum Sive Sententia Arbitralis A Seren. & Poten. Galliae & Sueciae Regum, Electorum Arbitrorum Delegatis Plenipotentiaariis**

**[Heilbronnae], 1667**

[Fließtext]

[urn:nbn:de:bsz:31-130806](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130806)



**S**erenissimi ac Potentissimi Reges, in  
 controversiis circa Wildfangiatum, Condu-  
 ctum & Telonia, indeque dependentia Jura,  
 inter Eminentissimos Principes, JOANNEM  
 PHILIPPUM Moguntinum, tanquam Episco-  
 pum Herbipolensem & Wormatiensem, Carolum Caspa-  
 rum, Trevirenses; Maximilianum Henricum, Colonien-  
 sem, Archiepiscopos, S. R. Imperii per Germaniam, Gal-  
 liam, Regnum Arelatense & Italiam Archi-Cancellarios &  
 Electores; Carolum Ser<sup>mum</sup> Lotharingæ Ducem, & Barri  
 Marchionem; Lotharium Fridericum, & Franciscum Ego-  
 nem, Reverendissimos, Spirenses & Argentinensem Epi-  
 scopos; Similiter & Comites Rheingravios, & Immedia-  
 tos S. Rom. Imperii Nobiles in Tractu Rheni, Sueviæ &  
 Franconiæ & appertinentibus locis, ex unâ; tum Ser<sup>mum</sup>  
 Principem Carolum Ludovicum Comitem Palatinum  
 Rheni, S. Rom. Imperii Archi-Thesaurarium & Electorem  
 ex alterâ parte, hætenus per aliquot annos vertentibus,  
 electi, ac recepti Arbitri: Postquam vigore delati receptiq;  
 Arbitrii, Heilbronnæ, locum negotio huic destinatum,  
 misissent Delegatos, & specialibus ad id mandatis instru-  
 ctos Ministros & Consiliarios suos, Honoratum Courtin,  
 Ser<sup>no</sup> ac Potentissimo Principi ac Domino, Domino LU-  
 DOVICO XIV. Galliarum & Navarræ Regi Christianissi-  
 mo, à secretioribus Consiliis, nec non Libellorum suppli-  
 cum Magistrum, per circulos superioris & inferioris Rheni  
 A 2 Lega-



Legatum Extraordinarium, Davidem Mevium Ser<sup>mi</sup> ac Potentissimi Principis ac Domini D. CAROLI Sueciæ, Gottorum Vandalorumq; Regis Consiliarium Secretum, & Tribunalis Vismariensis Vice-Præsidem; & Martinum Bœckel, ejusdem S. Regiæ Majestatis Consiliarium Aulicum, ad hanc causam ablegatos Extraordinarios; coram quibus deinde juxta normam Compromissi die  $\frac{1}{11}$  Novemb. Anni 1666, à controvertentium Dominorum Plenipotentiaris subscripti & subsignati, postea quoque ab ipsis Eorum Principibus ratificati, intra præfixos eodem compromisso terminos Gravamina, Exceptiones, Replicæ, Duplicæ, adjunctis documentis literariis exhibitæ, documenta hinc inde bonâ fide partim recognitâ, partim pro recognitis acceptatâ, denique à Partibus conclusum, & Processus ad Laudi promulgationem usque fuit deductus, consideratis deinde, eâ quâ decet diligentia, actis, ponderatisq; causarum circumstantiis & momenti, de præmemoratis controversiis, compromissoriali hoc Laudo arbitrantur & pronuntiant.

I. Primò, circa Wildfangiatum: Omnes Personas peregrinas, mares & fœminas, quæ non habent persequentem corporis Dominum, nemine excepto, tanquam Wildfangios, ex eo, quando in Palatinatu non modo, sed etiam in adjacentibus Ecclesiasticis & Secularibus Dominiis, Oppidis, Pagis & Ditionibus, de quibus in præsentiarum quaestio fuit, domicilium constituunt, Domûs Electoralis Palatinæ proprios homines, juxta tenorem Privilegii & in eam memoratam antiquiorem consuetudinem, factos esse, & in posterum fieri, eoque indefinito peregrinorum nomine non tantum à Germaniâ planè Exteros, sed omnes adventitios, undecunque venerint, qui in ditione illâ ad quam veniunt, indigenæ non sunt, juxta proprietatem vocis respectu ditionum prolatae, & usum anteriorum temporum, comprehendendi;



3.  
hendi; ad illos verò non posse extendi, qui, cum jam essent alicujus Ecclesiasticæ vel secularis ditionis subditi, & liberi homines, & à loco ad locum, seu ex oppido vel pago ad alium pagum ejusdem ditionis migrare, & domicilium transferre voluerint; nec etiam ad illa loca, in quibus specialim Wildfangiatus, aliis ab Imperatoribus est concessus, nominatim in Comitatibus Wild: & Rheingravorum. Daun & Kyrburg, nec non zum Stein/ donec ejus antea istorum Privilegio, jus & usus ibidem edocebitur.

Quo ad Jura in ejusmodi proprios homines ut Wildfangios exercenda, discrimen fieri debere inter Personalia, in personam seu Corpus, & Territorialia ex Jure territorii competentia. Illa, cum proprietate in corpora per Privilegium competere, atque ex veteri Jure atque consuetudine circa proprios homines de iis statuendum, Inde facultatem istos adventitios atque ex his descendentes in numerum propriorum hominum recipiendi & constituendi, Censum corporis in pecuniâ, vel gallinis, operas præstari solitas, sed ita, ut præstantibus toleratas, nec debitis subditorum impedimento sint, moderatas, Mortuarium, Pecuniam pro introitu, den *Fahgülden* / Pretia manumissionum, Jus succedendi in bona vacantia, detractionem *die Nachsteuer*/ ubi Dominis Territorii hæc speciali privilegio vel usu nondum cessit, Juramentum fidelitatis & obedientiæ, sine præjudicio homagii Domino territoriali debiti, constitutionem Præfectorum vulgo *Musfauthen* / qui ista observent & exigant, Jus mandandi & vetandi quoad illorum debita, officia & præstationes juxta consuetudinem, quâ hæcenus talia in singulis locis exercita fuerunt, relinquenda esse.

Cætera Territorialia Jura, quæ Domini Confœderati in libello expriment, tam quæ ex Causâ Wildfangiatus Ser<sup>mus</sup> Elector Palatinus se sibi sumsisse negat, nempe indicationes,



4.  
tiones Affissas, Gabellas, pecuniam pro Itineribus filiorum  
& Elocatione filiarum: in Ecclesiasticis & Politicis, Crimi-  
nalibus & Civilibus, Realibus & Personalibus, Citationem,  
Evocationem, Cognitionem, Executionem, Appellatio-  
nem, Confirmationem Contractuum, Transactionum, Te-  
stamentorum, Pactorum dotalium & matrimonialium Con-  
fectionem, Jurisdictionem in hæreditate cernendâ, Jus ve-  
nandi superius & inferius, Forestale, Piscatum, Hospitatu-  
ram, Alimentorum Præstationem tam pro hominibus quàm  
Canibus & Equis, Censum Melioramentorum, Advocatiam,  
Affixionem & Publicationem Palatinorum Edictorum,  
Mandatorum, Rescriptorum, Jussorum, Citationum, Me-  
tata & Hospitationem, ut & Impensas Militares, Currus &  
Equos pro impedimentis bellicis, Judæorum Receptio-  
nem & Æstimationem bonorum, finium & limitum De-  
scriptionem: Quàm cætera ejus generis Jura, quæ adhuc  
prætenduntur, veluti extra operas personales, Angariam,  
Sequelæ, arma indicendi, lustrandique armatos, Collecta-  
rum sive ordinariarum, sive extraordinariarum, Tutores &  
Curatores dandi, Eorumque rationes examinandi, Inven-  
taria extra casum bonorum vacantium conficiendi, ex te-  
nore Privilegii Wildfangiatûs seu proprietatis personalis,  
in territoriis Confœderatorum non competere, sed ab iis  
inposterum ex hoc titulo abstinendum esse, nisi in locis, in  
quibus ex conventionibus aliquid talium est concessum,  
sicuti circa prætenfa hæc Jura, Eorumque exercitium ob-  
servetur, quod transactiones & conventiones inter Ser<sup>mos</sup>  
Electores Palatinos & Reverendissimos Episcopos Spiren-  
ses, diversis temporibus initæ, nempe Anno 1491. & Anno  
1521. sonant: Similiter etiam inter altè memoratam do-  
mum Palatinam & Comitem Falckensteinensem Anno  
1538. transacta valeant & serventur, ita tamen, ut in casu  
aper-



aperturæ feudi & consolidationis domini utilis cum directo ( restitutis omnibus , in pagis & locis ad dictum feudum spectantibus , in eum statum , in quo tempore investituræ ipsis Comitibus Falckensteinensibus concessa erant ) Domino Directo transactio illa nullo modo nocere aut præjudicare possit. Sic & in pagis Greyggoviæ centenæ obnoxiiis, cum Nobilitate detributis priorum hominum Palatinorum conventa, inter illos tantum observanda, non ultra extendenda subsistant. Quod autem in actis, de aliis conventionibus nominatim cum quibusdā Nobilium allegatur, quando non fuerunt productæ, suo loco relinquitur.

Etsi porro ex quodam Territorii Jure sibi Serenissimus Dominus Elector Palatinus ultra quædam asserit, attamen ex eo nihil tribui potest, priusquam speciatim in locis vel pagis id docebitur, quod hujus Compromissi non est, sed competenti Judicio reservatur, cui etiam prætentum Territorii Jus in pago Muckenloch, ut & quod in quibusdam Nobilium Locis asseritur, relictum esto.

Quæcunque autem Jura prædicto modo Ser<sup>mo</sup> Electori Palatino ex causâ Wildfangiatûs competierint, æquum est sic haberi & exerceri, quo Dominis Territoriorum sua Superioritas, Regalia, Jurisdictio & cætera Jura Territorialia in terras & subditos, per investituras & Privilegia Cæsarium acquisita, vel longo usu obtenta, de cætero illæsa sint, non impediuntur nec perturbentur. Quo circa adversus hæc Evocationes, interdicta, protectio, præscriptio formularum homagii provincialis, ut & mandatorum vel interdictorum Domini territorialis, Religionis & Jurisdictionis turbatio cessent, nec si quid controversiæ imposterum exurget, vi, sed tantum amicabiliter vel Jure agatur.

Vicissim Ser<sup>mo</sup> Electori Palatino eorum, quæ ipsi, ut corporum Domino debentur, ipsiusque Præfectis, deman-  
datio



datio & exactio non sit impedita; si in his Jurisdictionis territorialis auxilio ad executionem opus erit, ad instantiam à cujusvis loci Judice promptè præstetur, eo verò negato, vel ad octiduum à tempore requisitionis dilato, ipsismet exequi liceat.

Et quando, quæ in querelas jam deducta sunt, pleraque reperiuntur, non tam ex Juribus, Eorumque competente exercitio, quàm Officialium excessibus descendisse, ideoque ad pacem, bonamque vicinitatem multum in eo situm fore, ut in posterum præpediantur aut coerceantur, adde- re placuit, ut pro collisione personalium & territorialium Jurium, indeque metuendis difficultatibus & contentioni- bus devitandis, tam istorum officia, quàm Jura exercendi modus, huic Laudo convenientibus instructionibus formentur, nec has excedere unquam, impune sit.

II. Circa secundum Compromissi caput, concernens Conductum, ejusque dependentias, Juri congruit, quæ sunt de isto inter partes transactiones, & conventiones, juxta ipsarum tenorem præprimis servari. Quando itaque per illam conventionem, quâ Præfectura Lauda ad Episcopatum Herbipolensem translata fuit, eidem sic Jus omne, ideo & conducendi, uti Ludovico de Hutten venditum, cessit, nec quicquam ex eo reservatum, manebit idem jam dicto Episcopatui imperturbatum, nec Electoratui Palatino sibi ex eo quicquam sumendi potestas superest.

Sic inter Ser<sup>mos</sup> Electores & Reverendissimos Episco- pos Spirenses diversis vicibus de Conductu conventa, rata sint & observentur, emendandis iis, quæ secus hactenus evenerint. Inter ista etiam, quæ Edighoviensis recessus desinivit, in usu maneant & valeant. Quod si verò Reverendissimus Episcopus putaverit, sibi, non obstante antecessorum suorum factâ approbatione, ab hoc recedendi facultatem



tem justam super esse, manente intereà ejus, ut in aliis, ita & nominatim circa Conductum & Aperturam Deidesheimensem, donec aliter judicatum fuerit, observantiâ, legitimis mediis in foro competente experiri integrum erit. Salvum etiam ipsi sit Jus conducendi, quod ex Privilegiis & Investituris obtinuit & hætenus exercuit.

De cætero in his, quæ ex Conventionibus modum ac definitionem certam non habent, super Gravaminibus à parte Dominorum Confœderatorum prolatis, & in Controversiam deductis, Juri atque Consuetudini Imperii conveniens existimatur.

*Primo.* Ut Ser<sup>mus</sup> Elector Palatinus in Confœderatorum Terris Jure Conducendi non aliter utatur, quàm in transitu Principum, & simili dignitate eminentium Personarum, Copiarum equestrium vel pedestrium, Mercato- rum ad solennes Nundinas proficiscentium, Judæorum, Cingarorum, & similium Personarum, quarum juxta leges, moresvè Imperii non est sine Conductu securitas.

*Secundo.* Ut non prætendatur aut usurpetur, quando Domini earum terrarum & viarum, per quas itur, similiter eorum Ministri, milites & subditi ibi transitum faciunt, sed innoxius, & Constitutionibus Imperii congruus, ipsis in suis terris liber, & non impeditus sit, quemadmodum & Electoribus Palatinis, Eorum Ministris, militibus & subditis vicissim eadem libertate talis ibidem ita, sine conductu alio, relinquendus est.

*Tertio.* Processiones Religiosæ, liberæ, & conductui nulli astrictæ sint.

*Quarto.* Ut non in aliis, quam viis Regiis, conducendi Jus exerceatur. Quando autem, quæ illæ habendæ sint, nondum satis apparet, tam æquum autem, quàm ad tranquillitatem atque concordiam faciet, certas illas con-

B

stitui



stitui atque definiri, juxtaque terminum à quo & per, & ad quem conducitur, designari necesse erit, propediem ab utraque Parte peritos locorum nominari, per eos designationem viarum, quæ pro publicis hætenus habitæ vel habendæ sunt, talem fieri, juxta quam in posterum illud Jus Palatini exerceant, eâ tamen sub lege, ut mutuo per Territorii Dños curetur, ne transeuntes conducendi aliâ viâ tendant, quàm ubi ad certa loca istius per vicinalem divertendi necessitas fuerit.

*Quintò.* Ut Jus conducendi intra ea remaneat, quæ tali in alienis terris per Leges & Consuetudinem Imperii, præsertim fini suo conveniunt. Quando autem ex Privilegiis apparet, ad securitatem & custodiam viarum Jus Conducendi Electoratu Palatino concessum esse, virtute ejusdem competit Inspectio viarum pro illo fine, Das Be-  
reiten der Weeg und Haltung der Geleits-Reuter / Indagatio & Persecutio Latronum, Prædonum & similium, per quos viæ publicæ infestantur, ut vocamus das Recht des  
Ausstreiffens / talium, qui in ejusmodi viis reperiuntur, abductio & punitio. Ut tamen, quidquid eo nomine fit, intra terminos viæ regiæ consistat, ab eo custodiæ viarum Præpositi non deflectant, nec vicinis Provincialibus molesti vel onerosi sint, sed suis sumptibus sine horum impendio & onere ista omnia expediant. Quod si, dum fit ea persecutio, Malefici à publicâ viâ ad vicinales, vel alia loca vicini Territorii profugerint, Persecutoribus quidem licitum sit, prosequi, etiam in fugâ sistere & apprehendere, non verò abducere, sed tradendi sunt ad carcerem his, in quorum locis capiuntur, ab iis puniendi.

*Sextò.* Delinquentium, dum Conductus præstatur, tam eorum, qui conducuntur, inq; eorum Comitatu sunt, quàm qui conducunt, coercitio & pœna ex Jure Conducendi



9.  
cendi esto Ser<sup>mi</sup> Electoris : Quidquid autem ultra hæc Jurisdictionis seu Civilis seu Criminalis est, ex causâ Conductus non competit, sed iis, quorum vel Jus viæ publicæ, vel circa hanc, Territorii est, quibus & in via delinquentium punitio, ut & Cadaverum ablatio, sine impedimento relinquatur, deque eo stetur literis Investiturarum & Privilegiorum, ex quibus illud impetratum fuit ; His nullis existentibus, Consuetudini & Possessioni, quæ hætenus fuit, donec super eo aliud plenius in foro competente deductum & sententia pronuntiata erit.

*Septimò.* Ut, quando de Præfecturâ ad Præfecturam, vel Pago ad Pagum, per viam publicam, ob scelera captivi ad carcerem, vel damnati ad supplicii locum ducuntur, Conductu non sit opus, sed quibus Jus viæ publicæ, vel etiam ob viciniam ejusdem liber usus est, cum velint ducere, liberum relinquatur.

III. Tertium Compromissi Caput Telonia quod attinet, de iis, quæ ante hac convenerunt, imposterum observari æquum est. Quocirca etiam firma, inque usu sint & maneant, quæ inter Ser<sup>mum</sup> Electorem Palatinum & Reverendissimum Episcopum Spirenses Anno 1521. ut & inter illum & Comitem Falckensteinensem, Anno 1538. de istis transacta sunt, tantum & circa hæc in Comitatu Falckensteinensi, quâ feudalia bona, directo Domino, integro suo, in casum aperturæ, Jure, quod tempore investituræ fuit.

Incumbit porro Ser<sup>mo</sup> Electori Palatino juxta pactum cum Reverendissimo Episcopo Wormatiensē Anno 1485. quâ Telonium Hemsbachiensē initum, vias sine onere subditorum, nisi operas illuc conferre veteris moris est, emendare, nec non immunitatem rebus Episcopalibus servare. At non perinde subditis & mercibus, quæ in Præfecturâ sunt, vel importatis vel expertandis, nullam de iis



expressam mentionem conventionem faciente. Si tamen aliunde istius Jus à parte Episcopatus porrò prætenditur, Judicio ordinario, manente interim præsentè possessione, id integrum, nec eousque Cippum Telonarium ibidem habere prohibitum esto.

Quando de Communicatione Vectigalium in Laudenburg, Lampertheim, Hoffheim / Weinsheim / Dirmsstein / sicut & in Landeck Instrumenta Conventionum super Communione eorundem nihil mentionis habent, quod circa ea præcipuum à Partibus Palatinis prætenditur, & hætenus exercetur, in usu remaneat, donec ab altera parte docebitur, tempore translationis vectigalia in iis locis communia, nec aliter ad Electoratum Palatinum translata vel alias intra ea tempora, quibus Juri Vectigalium præscribitur, injustè sumpta fuisse. De quo ordinarii Judicii cognitio erit.

Circa querelas de introductis novis vectigalibus, inter merè contradictoria partis alterius talia arguentis, alterius vetera, & longissimâ Consuetudine firmata allegantibus, nondum reperitur ea probatio, ex quâ sufficiente fide constare possit, illa sic noviter contra leges Imperii introducta esse, ut statim abrogari debeant, sed ulteriori inquisitione, probatione & discussione, antequam in re tanti momenti certi aliquid statuatur, opus fore.

Quando autem Capitulatione Cæsarea circa nova vectigalia & de his querelas, certus procedendi, judicandique modus præscriptus est, non potest non, quidquid eorum est, in eo, quo hætenus fuit statu, relinqui, & pro ulteriore indagine & definitione controversia illuc remitti.

Quo similiter, tanquam appendix vectigalium referenda sunt, quæ de subsidiariis Teloniis, Wehrzöllen / inter Gravamina habentur, tantum, quò ad hæc, eâ interim  
decla-



declaratione facienda, quod per talia, vectigal, quantum in Ordinario loco debetur, multiplicare, vel onus ejus nulla ratione augere, nec in posterum talia sine scitu & voluntate eorum, quorum est territorium, introducere, sed tantum, ubi opus, ex conventionem cum iis, juxta Cæsareum Privilegium statuere liceat. Quod si etiam Territoriorum Domini contra fraudes transeuntium ita cautum facere velint & possint, ut telonio, quod alibi solvitur, prospectum sit, cessante sine illo, subsidiarii incommodis liberari æquum est.

Uti & quousque manet Electoratu Palatino vectigalium possessio, etiam Cipporum, tanquam insignium in iis locis, ubi exiguntur, libera erectio sit, haud verò etiam istorum gratia aliis in locis.

Publicani, quotquot in territoriis D. D. Confœderatorum pro vectigali exigendo Ser<sup>mo</sup> Electori serviunt, quæ officium, à Jurisdictione, nec non ab oneribus Personalibus exemptionem retinere: De cætero verò, ubi Domicilium constituerint, Domino Territorii homagium consuetum præstare, super rebus, Contractibus & Delictis officium non concernentibus, aliorum Incolarum instar forum fortiri, & realia vel mixta onera subire æquum est.

Exactio Telonii in alienis Territoriis ita fieri debet, ut ultra eam Jurisdictionis in iis nihil sumatur, nec ista pro executione extra locum, ubi vectigal dependi solitum, violentè invadantur, sed si istud ab aliquo seu subdito, seu peregrino defraudari contingit, in recente facto eum persequi, sistere, & solvendum ab eo petere permissum, haud tamen, si non solvit, invitum abducere, sed tunc vel in posterum coram Judice loci, super fraudatione queri, & ab eo auxilium Jurisdictionis postulare oportebit, quod sine morâ intra octiduum tam super vectigali, quàm penâ



defraudationis præstabitur, aut si diutius protrahetur, illum, illisque res, cum ad locum vectigalis redibunt, vel quando sub Jurisdictione Palatina erunt, arrestandi, detinendi & castigandi potestas erit. Quà Immunitatem à Teloniis, existimatur, quæ Episcopi & Clerus, nec non Rheingravii & Immediati Imperii Nobiles ex terrarum suarum proventibus, redditibus & crescentiis percipiunt, dum ad suos usus & consumptionem in loca, ubi vivunt, devehunt, exempta esse, attamen circa ea, ne quid fraudis vectigalibus fiat, providendum.

De cætero autem Exemptionem ipsis juxta privilegia sua sic restitui & servari debere, quomodo ista ante hac in usum venisse constat aut demonstrari potest, de quo, quando ex actis nihil certi apparuit, neque jam ultra definiri potuit, præterquam, quod si quæ Nobilitatis exemptionem, allegatâ conventionem Dominorum Electorum circa Rhenum quid definitum reperietur, id inviolabiliter custodiendum esse videtur.

Quod de anteriore observantiâ, nec non mente vel usu privilegiorum incertum & controversum, speciatim etiam, quod cum Episcopatu Spirensi in Causa mandati in aulâ Cæsareâ sub lite versatur, decisioni Judiciali in loco competente relictum esto.

Vectigal Udenheimense, quod Reverendissimus Episcopus Spirensis ex Privilegio & Decreto Cæsareo, cum potestate, quo velit, transferendi obtinuit, ad alia loca transferre, non est impediendus, sed relinquenda imperturbata facultas in suo territorio, ubi velit, id ipsum exigendi, ideo pro hoc loca idonea assignandi, dummodo exactio non multiplicetur, sed semel tantum juxta tenorem Privilegii in Episcopatu fiat.

Quam-



Quamvis præter hæc in superiore Laudo definita, alia plura Gravamina & desideria in Libello atque Actis fuerunt prolata, attamen, quia ad Compromissum, tribus præmemoratis capitibus, eorumque dependentiis adstrictum non pertinent, idcirco nihil hic de iis statuere convenit, sed competenti foro relinquuntur.

Præfens hoc Laudum S. S. R. Reg. M. M.<sup>um</sup> nomine & jussu, supramemorati Regii ad hanc causam missi Legatus, & Ablegati Extraordinarii, prout Compromisso placuit, atque conventum est, manibus & sigillis nostris subscripsimus & subsignavimus. Actum Heilbronnæ die decima septima novi, & septima veteris styli, Februarii, Anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo.

Honoratus Courtin Regis Christianissimi  
Legatus Extraordinarius.

David Mevius, S. R. M.  
Sueciæ Ablegatus Extraordinarius.

Martinus Bœckel, Sac.  
Reg. Maj. Sueciæ Ablegatus Extraordinarius.

L. S.

L. S.

L. S.



Quantum preterea in hoc articulo subdicitur, quod  
 eiusdem tenoris et conditionis in hunc articulo ad hunc  
 fuit prolata, etiam, quod ad compromissum, tribus  
 compromissis capitibus, continetur dependentibus ad  
 hunc non pertinent, idcirco nihil hic de his tractare con-  
 venit, sed compromissum tantum respiciunt.  
 Hinc hoc subdicitur, quod ad hunc articulum non pertinet  
 illa, compromissum fuisse ad hunc articulum nullatenus  
 res, et ad hunc compromissum, etiam compromissum pla-  
 cuit, etiam continentur et, etiam et illis non sub-  
 dicitur et subdicitur. Ad hunc articulum de de-  
 clina fuisse et non et subdicitur veris fuisse, Anno  
 Illustissimo Reverendissimo Reverendissimo fuisse.

Honoratus Curia Regis Christianissimi  
 Legatus Extraordinarius.

David Mevius, R. M. - Martinus Brackel, Sac.  
 Socii Ablegati Extra- Reg. Maj. Socie Ablega-  
 tae Extraordinariae. -

L. S. L. S. L. S.